XXXIII

ANTONJ ROSATI

IC. PISTORIENSIS

DE

CONSTITVTIONIBVS

PRINCIPVM

DISSERTATIO

HISTORICO-LEGALIS

313.2


1872

PISTORII A. D. MDCCLX.
APVD ATTHONEM BRACALIVM
PVBLICI TYPOGRAPHVM

PRÆSIDVM FACVLTATE

Digitized by Google

Digitized by Google



DE CONSTITVTIONIBVS PRINCIPVM

DISSERTATIO.

EXimios, ampliſſimoſque fructus ex Romanâ Hiſtoriâ, Omnes, qui Juriſprudentiae dant operam, percipere poſſe, cultiorum poſt Cujacium Interpretum voce erudimur. Hic profecto redivivae Juriſprudentiae Parens, qui Juriſprudentiam a ſe lateritiam acceptam, auream deinde reddiderat, tanti Romanam Hiſtoriam faciebat, ut eam in jure Civili, *tanquam homo piſcari* ſe diceret. Quum vero maxima hujuſce juris pars Principum Conſtitutionibus conſtet, veluti in caecâ nocte ſine lumine errantes laberentur illi, qui abſque ipſarum cognitione, Civilem Romani Imperii Hiſtoriam addiſcere optarent, aut ſine hujus praeſidiis Conſtitutiones ipſas interpretari. Quamobrem Principum Conſtitutiones hiſtorico magis, quam oratorio more, modoque attingere, ac delibare conſtitui: Quae quidem tractatio ad eam, quae

olim fuit Codicis Theodoſiani, & quae ſubinde ſequuta eſt Juſtinianei Codicis auctoritatem pertinet: Immo vero, ne de novellis Conſtitutionibus dicam, ad inſigne illud Pandectarum Syntagma, & praeclarum Inſtitutionum opus eadem refertur, quorum utrumque Principum Placitis refertum eſt, utrumque Conſtitutionibus Imperatoriis confirmatum, adeo ut rerum dicendarum utilitas fuſe, lateque pateat, & ſingulos Juris Civilis libros reſpiciat. Operae igitur pretium me facturum exiſtimo, ſi primum de Romanorum Imperatorum in Jure conſtituendo auctoritate, adeoque de celebri illâ, ac pervulgatâ Lege Regia dicam, de quà plures, diverſaeque fuerunt ſummorum tam in Juriſprudentiâ, quam in re litterariâ Virorum ſententiae; deinde vero, ſi modos, formaſque proſequar, quibus Imperatores auctoritate illâ Juris condendi utebantur.

Florentiſſima illa, ac potentiſſima omnium quondam Domina, & Regina Terrarum Romana Reſpublica, quam nec Pyrrhi ſolertia, nec vires Carthaginienſium, quibuſcum nulla gens uſu rerum maritimarum, aut potentiâ poterat comparari, non Macedonum, qui plurimum terreſtribus copiis pollebant, induſtria, ac diſciplina, non denique varia, & diverſa genera, & bellorum, & hoſtium evertere unquam potuerunt, tandem in exitium ſuum armata, non viribus externis convulſa, ſed ſuis oppreſſa, uni ob-

obtemperare debuit Principi, quum alia ratio tranquillitatis publicae nulla pateret. Itaque primum honores omnes unum in Principem Julium Caeſarem congeſti, Pater ipſe Patriae nuncupatus, perpetuuſque Dictator: Noviſſime dubium; an ipſe volente, oblata pro Roſtris ab Antonio Conſule Regni inſignia fuerunt; quum vero Js, qui Terrarum Orbem civili ſanguine impleverat, ſuo ipſe ſanguine, ut Florus ait, Curiam impleſſet, cuncta diſcordiis civilibus feſſa, Auguſtus, Tacito teſte, nomine Principis ſub imperium accepit; nec aliter Cives inter ſe conſentire poſſe videbantur, niſi unius Praeſidis nutu; quaſi animâ, & mente regerentur. Quamvis autem Auguſtus Conſulem ſe ferens, & ad tuendam Plebem Tribunicio Jure contentus, paulatim munia Senatus, Magiſtratuum, Legum in ſe traheret, nullo adverſante; infelici tamen Julii Caeſaris exitu edoctus, ſimulavit modeſtiam, & invidiam praeſtigiis eluſit. Quum enim Patris Patriae cognomen univerſi Ordines maximo conſenſu ei detuliſſent, primum illud repudiavit, tandem vero lacrymans Senatui reſpondit: *Compos factus votorum meorum Patres Conſcripti quid habeo aliud Deos immortales precari, quam ut hunc conſenſum veſtrum ad ultimum Vitae finem perferre liceat*? Dictaturam vero magnâ vi offerente populo, genu nixus, dejectâ ab humeris togâ, nudo pectore deprecatus eſt, quo

 for-

Digitized by Google

forte ſignificaret, ſe malle occidi, quam titulum illum recipere. Noverat quidem Regis, & Dictatoris nomina ſplendidiſſima eſſe, alterum tamen propter Tyrannidem Tarquiniorum, alterum propter odium Dominationis Syllanae, & Julii Caeſaris, in ſummam omnium deteſtationem veniſſe; verum ſummis artibus invidiam hujuſce nominis ita declinavit, ut honorem interim, & poteſtatem Dictatoriâ majorem haberet, neque Regno, neque Dictaturâ, ſed Principis nomine conſtitueretur Reſpublica. Itaque Titulorum inania contemſit, uſitatâ Principis appellatione contentus, quum etiam olim integro Reipublicae ſtatu Princeps Senatus ille diceretur, quem in recitando Senatu, tanquam omnibus virtute praeſtantem Cenſor primum legiſſet. Jam quid ego plures referam, quos â populo aeque, ac à Senatu paulatim, & plurium intervallo temporum diverſis legibus, ac Senatus conſultis honores, & poteſtates, accepit? Repetitum toties Conſulatum, perpetuam Tribunitiam poteſtatem, prorogatum Imperium Proconſulare? Quid de Senatus conſulto illo dicam, quo legibus non quidem omnibus, verum lege Cinciâ decimo ejus Conſulatu ſolutus fuit? Id unum commemorabo, quod ad Legum condendarum poteſtatem maxime pertinet, quodque à Dione Caſſio narratur, C. Sentio, & Q. Lucretio Conſulibus, anno nempe ab V. C. 735. fuiſſe Au-

gu-

Digitized by Google

guſto inter alia permiſſum, ut omnia ſuo emendaret arbitrio, ac Leges, quas vellet, ferret, iiſque Auguſtarum nomen imponeret: Quae vero ſenſim Auguſtus habuit, eadem habuerunt uno Senatus conſulto, aut Lege, omnes, qui eum inſequuti ſunt Principes. Hac profecto de cauſsâ Tacitus, ſcripſit, *Senatum omnia Principibus ſolita Veſpaſiano decreviſſe*; idipſum quoque teſtatur inſigne illud, quod Romae in Capitolio extat, Monimentum, quod etſi perperam nonnulli confictum cenſuerint, recte alii germanum pronuntiare non dubitarunt, nam ſive eorum temporum hiſtoriam animo repetamus, iis, quae à Tacito, Suetonio, Dione tradita ſunt maxime eſt conſentaneum, ut Vlricus Huberus animadvertit; ſive dicendi rationem propius intueamur, eam puram putam, genuinamque redolet vetuſtatem (1). Haec plurium atque majorum Magiſtratuum complexio, hic variarum poteſtatum cumulus, inſtrumentum hoc per varios gradus in ſingulis Imperatoribus repetitum, & auctum, ſub Antoninis palam Lex Regia, Lex Auguſti, Lex Imperii appellabatur; quo quidem aevo non ut olim, inviſum Populo Romano Regium Nomen erat, neque illud, ut olim aiebat Scipio, Romae intolerandum videbatur, Nam, & Lampridius Imperatoris Alexandri ſeveri Vxorem Reginam appellavit, & ſaepe ab illo tempore

(1) *Totus Regiae legis contextus ad Calcem hujus diſſertationis eſt poſitus.*

Digitized by Google

apud Hiſtoriae Auguſtae Scriptores Regia dicta eſſe inveniuntur, quae ad Imperatores pertinebant, adoptio regia, ſtatio, ornamenta, animalia, regalis pompa, regium funus, atrium, ſedile, munus regale, alia etiam ſexcenta. Quare nec ipſam legem Regiam auſim cum Scoockio figmentum Vlpiani dicere; neque cum ipsâ Vrbe natam cenſere cum Balduino; neque eam cum doctiſſimo Gravina à mendaciſſimo Triboniano confictam exiſtimare.

Itaque Regiâ lege hactenus expoſitâ, atque, ut arbitror, vindicatâ, num forte dicendum erit, per eam Senatum, Populumque Romanum omne ſuum Imperium, ac poteſtatem ita Principi conceſſiſſe ut omni prorſus jure, & poteſtate ſe exueret? Id ſane putarunt praeſtantiſſimi quidam Viri, in quorum ſententiam diſcederem, niſi me alio ducerent veterum Monimenta Hiſtoriarum, & graviſſimorum quoque Juris noſtri Interpretum auctoritas. Nonne in potentiores Provincias Auguſto Imperium datum fuiſſe primo in decennium, deinde in alterum decennium, quo etiam elapſo, in quinquennium, rurſus in decennium Dio Caſſius abunde teſtatur? Quid eâ imperii prorogatione opus fuiſſet, ſi Populus omni ſe jure ſpoliaſſet? Nonne conſtituto jam Principatu exempla Comitiorum occurrunt, Legumque in iis á Populo juſſarum? Quid enim aliud lex Aelia ſentia declarat, quid lex Papia, jam
Se-

ſeniore Auguſto, ut ſcribit Tacitus, ad Populum lata? Quid ſub Tiberio lex Junia Norbana? Omitto rogatam legem, quâ in familiam Claudiam, & Nomen Neronis tranſiret, quum a Claudio adoptraretur Nero? Omitto, Agrippinam, quum Neronem Britannicus Domitium poſt adoptionem ſalutaſſet, clamaſſe, ſperni adoptionem, quaeque cenſuerint Patres, juſſerit Populus, intra Penates abrogari. Illa ipſa Legis Regiae formula, quâ delatus Veſpaſiano fuit Principatus, luculentiſſime oſtendit, Populum etiam poſt eam ſe jure ſuo non abdicaſſe, quo rogaretur quid de rebus, tum publicis, tum privatis, vellet, juberet fieri. Ipſa enim cavetur, ut in Comitiis ratio eorum habeatur, quos Princeps Senatui, Populoque Romano commendaverit, quibuſque ſuffragationem ſuam dederit, promiſerit. Ipſâ deferuntur Veſpaſiano poteſtates Julii, Auguſti, Claudii, neque ulla ibi ſit Neronis, atque Caligulae mentio: Nimirum Caligulae acta fuere per Senatum reſciſſa, & Nero Patriae hoſtis judicatus. Quomodo autem potuiſſet Senatus Imperatorum acta reſcindere, ſi Senatus, Populuſque Romanus omne a ſe jus amoviſſet, ſi omne exuiſſet Imperium, ſi omni ſe poteſtate prorſus abdicaſſet? Immo vero ad ſenium vergens Romana Reſpublica, & ad tranquilliora vitae diſcedens, non ut nequam, aut deſipiens, ſed velut frugi parens, & prudens, & dives, Cae-

Digitized by Google

ſaribus tanquam liberis ſuis regendi Patrimonii Jura permiſit, ut praeclare ait Ammianus. Neque vero heic obiiciantur exempla quibus Romani Principes conceſsâ abuſi poteſtate majeſtatem Populi neglexere; ea enim facti ſunt, quum noſtra haec omnis de Jure ſit Diſputatio.

Plane quis putet Caligulam, Neronem, Domitianum, Commodum, Caracallam, alioſque pro Principibus, atque, ut eſt in vetere illâ Capitolinâ formulâ, pro majeſtate divinarum, humanarum, publicarum, privatarumque rerum egiſſe, quum ſeſe omni vitiorum generi mancíparent, quum flagitia cumularent flagitiis, quum eorum ſceleri, furorique omnia propemodum cederent? Qui Latrones igitur, ſiquidem illi Patres Patriae, Populique Conſervatores? Qui Praedones, qui Hoſtes, qui Proditores, qui Tyranni nominabuntur? At enim de Romano Principe tradit Vlpianus, eſſe eum Legibus ſolutum, quod etiam Dio Caſſius teſtatur. Verum ſive id tantum de Lege Juliâ, & Papiâ intelligamus, ut Antonius Auguſtinus, Cujacius, Noodtius, Heineccius, ſive de ſolemnibus Juris, ut Coraſius, & Vaſquius, ſive de poenis, ut Graeci Interpretes, & Dionyſius Gothofredus, ſive demum de omnibus Civilibus legibus, quibus nominatim exceptum erat, ne teneretur; certe non ita eſt accipiendum, ut exemptus Princeps eſſet à naturali Jure, à nexibus humanae ſocietatis, à legi-

gibus illis, quibus ſuſceptum à ſe regimen innitebatur, ut acceptâ poteſtate contra Rempublica ipſam abuteretur. Quin immo non ſolum Paullus Juriſconſultus, *tantae Majeſtati decere*, ait, *eas ſervare leges, quibus Princeps ſolutus eſſe videtur*, ſed etiam diſertis verbis Imperator Alexander Severus fatetur, *licet Lex Imperii ſolemnibus Juris Imperatorem ſolverit, nihil tamen tam proprium Imperii eſſe quam legibus vivere*; vulgatumque id eſt, & omnium ſermone celebratum, quod ad Voluſianum Praefectum Praetorio Imperatores Theodoſius, & Valentinianus ſcripſerunt; *Digna vox eſt majeſtate Regnantis, Legibus alligatum ſe Principem profiteri. Adeo de auctoritate juris noſtra pendet auctoritas; & revera majus imperio eſt ſubmittere legibus Principatum*. Idem probe perſpexit, ut ab externis exempla petamus, Princeps ille aeternâ ſaeculorum memoriâ eam ob cauſſam digniſſimus, quem ſilentio praeterire, ſine piaculo certe non poſſem, Antiochus III., qui ad ſingulas Regni ſui Vrbes, litteris miſſis, bene, ac ſapienter juſſit, ne ſibi parerent, ſi quid forte praeter jus, & fas ediceret. Idem praeclare novit juſtiſſimus Macedonum Rex Antigonus, qui Aſſentatori cuidam omnia Regibus honeſta, juſtaque eſſe dicenti, *ſunt per Jovem*, reſpondit, *Barbarorum duntaxat Regibus, at nobis ea duntaxat honeſta ſunt, quae ſunt honeſta, & ea tantum juſta quae*

ſunt

ſunt juſta. Sed quid opus eſt ab aliis exempla mutuari? Idipſum certe, luculenterque declarat omni Imperatoriâ laude ornatiſſimus IMPERATOR CAESAR FRANCISCVS Pius, Felix, Auguſtus, Magnus Etruriae Dux, in quo Pietas, Religio, Juſtitia, Clementia, Conſtantia, ceteraeque Virtutes omnes regnare quodammodo, & triumphare videntur, qui in omnibus ab ipſo conditis Conſtitutionibus ſummum, quo flagrat, aequi bonique Amorem, publicaeque ſtudium utilitatis patefecit, qui in id unice incumbit, quo ſubiectae ſibi Civitates omnibus affluant bonis, omni proſperitatis genere cumulentur.

Sed age jam videamus, quod ſecundo loco a nobis propoſitum eſt, quibus modis Imperatores condendi Juris exercuerint poteſtatem, eamque ad communem uſum adduxerint.

Jam olim coepit Auguſtus etiam ſine Centuriarum ſuffragiis jura conſtituere; multa enim per Senatum etiam de iis rebus ſancivit, quae liberâ adhuc Republicâ ad curam ampliſſimi illius Ordinis minime pertinuerant: Et quemadmodum Magiſtratus Edicta proponere conſueverant, ita Ipſe, qui omnium Magiſtratuum Munia in ſe traxerat, nullo adverſante, vel in Provinciis tanquam Proconſul, vel in Vrbe vi Tribunitiae Poteſtatis, vel in Exercitu tanquam Imperator, vel circa Sacra tanquam Pontifex Maximus edicebat. Vtraque condendi Juris ratio

Digitized by Google

tio , atque forma veterem quandam referebat Reipublicae Imaginem , utroque genere poſteriores quoque Principes Auguſtum ſequuti , quaecumque vellent , conſtituebant . Nam praeter Edicta , quae ab illis ſponte ſuâ proponebantur, iidem interdum , ut fere uſque ad Vitellium contigit, per ſe, plerumque vero per Quaeſtorem Candidatum Orationem in Senatu recitabant, quam ſaepe acclamationibus excipiebant Patres , & ex ipſorum Principum ſententiâ condebantur Senatus Conſulta . Tandem vero praeſertim poſt Antoninos , non, ut antea, Senatus confirmabat Principum Orationes, ſed ex adverſo , Decreta Senatus , conſenſu Principis, & lege Auguſtâ confirmabantur , ut ex Symmacho diſcimus. Immo vero , & ab Hadriani temporibus Principes , nullo adhibito colore , quidquid libitum edicebant , ac frequentius multo, quam antea nova Jura Conſtitutionibus proferebant . Quod praecipue ab Hadriano fieri coeptum , qui toto fere Imperii ſui tempore tantumnon per univerſum Terrarum Orbem peregrinatus , raro in Vrbe fuit , raro conſulebat Senatum , ſuo pleraque arbitrio Reſcriptis conſtituebat , ut ab ejus potiſſimum aetate illud in proverbii conſuetudinem veniſſe videatur , quod Herodianus indicat , *Romam ibi eſſe , ubi eſt Imperator* . Tantâ vero Majeſtate ſequentibus deinde temporibus Principum Conſtitutiones prodibant , ut non modo Aucto-

ri-

ritates Legum, Apices Sacri, Sacratiſſimae Leges, Praecepta Sacra; ſed etiam Oracula Coeleſtia, Divales Sanctiones, Divina Praecepta, aeternae Sanctiones nuncuparentur, quorum omnium appellationum exempla in ipſo Theodoſiano Codice occurrunt. Jam nullius momenti reputabatur Lex illa XII. Tabularum *Privilegia ne irroganto*. Conſtitutionum enim, etſi aliae ad omnes pertinerent, quae Generales dictae fuerunt, aliae tamen ſpeciales erant, quaſi leges de privis Perſonis, & unam tantum cauſſam, unam tantum Perſonam reſpiciebant, nec ad exemplum trahebantur. Neque una tantummodo fuit generalium Conſtitutionum palam, & nullo colore adhibito, condendarum ratio, ſed plures. Itaque ſi Principes, nullo rogante, nullo impellente, ſed motu proprio aliquid promulgabant, Edicta, Leges Edictales perpetuae, Epiſtolae generales nuncupabantur. Neque vero Edicta cum Principum Mandatis, quae tum in Pandectis, tum in Codice, & Novellis plurima occurrunt, confundenda eſſe, nemo eſt qui non fateatur. Mandata enim erant praecepta, ſeu monita, quae Praefectis Praetorio, Proconſulibus, aliiſque dabantur: *Ordinaria* quidem Magiſtratibus, Principum Adminiſtris, Legatis, qui profecturi erant, *Extraordinaria*, urgente neceſſitate aliquâ, dabantur Legatis, aliiſve in Provincias miſſis: & alia rurſus, quae ſcriptis conti-

ti-

Digitized by Google

tinebantur, *Commonitoria* dicta fuere, alia *Secreta*, quae clam, & plerumque non ſcriptis, verum ſolo verbo mandabantur.

Diverſa autem forma in decernendo, reſcribendoque ſervabatur: Conſtat enim Edicta ſpontaneo motu propoſita fuiſſe, in proferendis vero Decretis, de quibus nunc eſt agendum, ita Poteſtas illa, quam a Senatu, Populoque Romano acceperant, ab Imperatoribus exercebatur, ut prius Litigatorem utrumque audirent, cauſſamque cognoſcerent. Solebant enim Imperatores ex appellatione cognoſcere, & utrâque parte auditâ, adſidentibus quoque Juriſperitis, Privatorum lites Decretis ſuis definire. Ejuſmodi vero Principum Decreta quamplurima â Juriſconſultis adducta in Digeſtis habentur, eorumque Decretorum, ſeu Imperialium ſententiarum in Cognitionibus prolatarum ſex libros Julius Paullus reliquit, in quos ſeveri, & Antonini ſententias contulit, quae Paullo, Papiniano, Meſſio, & Tryphonino adſidentibus, pronuntiatae fuerunt, diſſentiente plerumque Paullo. Sive autem Princeps *pro Tribunali* decerneret, ſive *de plano* interloqueretur, quod utroque modo definiebat, id legis vigorem habere, & legem eſſe, Vlpiano teſte, conſtabat. Sequentibus quoque temporibus, Principum ſententiae tanquam leges generales ab omnibus obſervandae erant, ſi expreſſe illud in iis contineretur, quod Princi-

ci.

cipes cenſeret, ea, quae in certis negotiis ſtatuta eſſent, ſimilium cauſſarum facta componere, quemadmodum à Theodoſio, & Valentiniano fuit conſtitutum. Acceſſit Juſtiniani Conſtitutio, quâ cautum, ut ſi Imperialis Majeſtas cauſſam cognitionaliter, ut ipſe ait, examinaverit, & partibus cominus conſtitutis ſententiam dixerit, omnes omnino Judices, qui ſub Imperio erant, ſciant hanc eſſe Legem, non ſolum illi cauſſae, pro quâ producta eſt, ſed & omnibus ſimilibus: *Quid enim majus, quid ſanctius*, inquit Juſtinianus, *Imperiali eſt Majeſtate? Vel quis tantae ſuperbiae faſtigio tumidus eſt, ut regalem conſenſum contemnat? quum & veteres juris Conditores, Conſtitutiones, quae ex Imperiali Decreto proceſſerunt, Legis vim obtinere aperte dilucideque definiant?*

Saepe vero Imperatorem plerique per Litteras ſi abſentes, ſi praeſentes per libellos conſulebant, quippe ſine iis ad Imperatoriam Majeſtatem aditus privatis denegabatur. Jam ipſe Julius Caeſar legendis libellis inter ſpectacula operam dabat, & Auguſtus fertur in libellis ſignandis initio ſphinge uſus, mox Imagine Magni Alexandri, noviſſime ſuâ Dioſcoridis manu ſculptâ, quâ ſignare inſequuti quoque Principes, teſte Suetonio, perſeveraverunt. Maxime vero à Tiberii aetate invaluit, ut Principes licet praeſentes non vivâ voce, ſed ſcriptis rogarentur,

qui

qui ad oblatos ſibi libellos reſcribebant. In Juris autem quaeſtionibus, non modo ſecundum Reſponſa Juriſconſultorum reſcripta conficiebantur, quemadmodum Imperator Alexander ſecundum Reſponſum Domitii Vlpiani amici ſui in quaeſtione quadam reſcribere ſe profeſſus eſt, ſed integrae etiam Prudentum ſententiae, interdum inſerebantur Reſcriptis. Itaque quum Privatus aliquis preces offerret, Princeps, vel propriae manus ſubſcriptione, vel Adnotatione reſpondebat, hoc eſt, brevi ſcripturâ, quae continebat ea, quae Principis nomine ſtatuebantur: quod enim Princeps verbis reſpondebat, Magiſter Memoriae breviter dictabat Proximo, & hic, vel Memoriales, ideſt Scrinio Memoriae Praefecti, ſeu Epiſtolarum, ſeu libellorum, ſeu diſpoſitionum ſcriniarii adnotabant. Quod autem huic ſubſcribendi muneri plerumque â Principibus Juriſconſulti praeficerentur, id ex libello a Celſo Juriſconſulto ſubſcripto luculenter apparet, cujus fides ex Jani Parrhaſii, Cataneique ſcriptis conſtat, & cujus exemplum ex antiquis Inſcriptionibus ſubiiciam, unde vetuſta concipiendorum, ſubſcribendorumque libellorum formula intelligatur CVM ANTE HOS DIES CONJVGEM ET FILIVM AMISERIM ET OPPRESSVS NECESSITATE CORPORA EORVM FICTILI SACROPHAGO COMMENDAVERIM DONEC IS LOCVS QVEM EMERAM AEDIFICARETVR VIA FLAMMINIA INTER MILIARIVM II. ET III. PARTE LAE-

VA

VA ROGO DOMINE IMPERATOR PERMITTAS MIHI IN EODEM LOCO IN MARMOREO SARCOPHAGO QVEM MIHI MODO COMPARAVI EA CORPORA COLLIGERE VT QVANDO ME ESSE DESIERO PARITER CVM IIS PONAR

SEPVLCHRVM FIERI PLACET

JVBENTIVS CELSVS PROMAGISTER SVBSCRIPSI III. NON. NOVEMB. ANTIO POLLIONE ET OPIMINIO COSS.

Si vero Magiſtratus Imperatorem conſulerent Epiſtolis, ſive litteris reſpondebat: ubi enim difficilis quaeſtio aliqua emergeret, nec in Jure deciſa, moris erat, ut Princeps ipſe a Magiſtratibus rogaretur, ne quidquam inconſulto eo agere viderentur; quarum Relationum exempla apud Plinium libro Epiſtolarum decimo occurrunt, ubi dubitationes ſuas Trajano exponit, à quo de officio ſuo eruditur. Denique, ſi de publicis cauſſis Civitas aliqua, vel Provincia, vel Vniverſitas Principem conſuleret, hic longo tractatu, & conſilio adhibito, quid fieri vellet, ſolemniter jubebat *Pragmaticâ Juſſione*, quid nollet *Pragmaticâ Sanctione* vetabat.

Cetera quidem, quae ad argumentum initio propoſitum, & quae idcirco ad veterum Imperatorum In Jure conſtituendo auctoritatem ſenſim Lege Regiâ conceſſam, deinde ad varias condendi Juris formas ab ipſis uſitatas pertinere poſſe videntur, brevitatis cauſsâ, & tanquam minus ſcitu, digna omittenda exiſtimavi.

LE-

LEGIS REGIAE

CONTEXTVS

Foedusve Cum . Qvibvs . Volet . Facere . Liceat . Ita . Vti . Licvit . Divo . Avg. Ti . Jvlio . Caeſari . Avg. . Tiberioqve . Clavdio . Caeſari . Avg . Germanico

Vtiqve . Ei . Senatvm . Habere . Relationem . Facere . Remittere . Senatvs Conſvlta . Per . Relationem . Diſceſſionemqve . Facere . Liceat Ita . Vti . Licvit . Divo . Avg . Ti . Jvlio . Caeſari . Avg . Ti . Clavdio . Caeſari Avg . Germanico,,

Vtiqve . Cum . Ex . Volvntate . Avctoritateve . Jvſſv . Mandatvve . Ejus Praeſenteve . Eo . Senatvs Habebitur . Omnivm . Rervm . Jus . Perinde Habeatur . Servetur . Ac . Si . E . Lege . Senatvs . Edictvs . Eſſet . Haberetvrqve

Vtiqve . Qvoſq. Magiſtratvm . Poteſtatem . Imperivm . Cvrationemve Cvjus . Rei . Petentes . Senatvi . Popvloqve Romano . Commendaverit Qvibuſqve , Svffragationem . Svam . Dederit . Promiſerit . Eorum Comitis . Qvibvſqve . Extra . Ordinem . Ratio . Habeatvr .

Vtiqve . Ei . Fines . Pomerii . ProferrE . Promovere . Cvm . Ex . Repvblica Cenſebit . Eſſe . Liceat . Ita . Vti . Licvit . Ti . Clavdio . Caeſari . Avg Germanico

Vtiqve . Qvaecumqve . Ex . Vſv . Reipvblicae Maieſtate . Divinarvm Hvmanarvm . Pvblicarvm . Privatarvm qve . Rervm . Eſſe Cenſebit . Ei . Agere . Jvs . Poteſtaſqve . Sit

Ita

Ita . Vti . Divo Aug
Tiberioqve . Jvlio . Caeſari . Avg . Tiberio-
qve . Clavdio . Caeſari
Avg . Germanico . Fvit
Vtiqve . Qvibvs . Legibvs . Plebeive . Scitis . Scri-
ptvm . Fvit . Ne . Divvs . Avg
Tiberivſve . Jvlivs . Caeſar . Avg . Tiberivſ-
qve . Clavdivs . Caeſar , Avg.
Germanicvs . Tenerentur . Iis . Legibus . Ple-
biſqve . Scitis . Imp. Caeſar.
Veſpaſianvs . Solvtvs . Sit . Qvaeque . ex
Qvaque . Lege . Rogatione
Divvm . Avg . Tiberivmqve . Jvlivm . Caeſarem
Avg . Tiberivmve
Clavdivm . Caeſarem . Avg . Germanicvm . Fa-
cere . Oportvit
Ea Omnia . Imp. . Caeſari . Veſpaſiano . Avg . Fa-
cere . Liceat
Vtiqve . Qvaecvmqve . Ante . Hanc . Legem . Ro-
gatam . Acta . Geſta
Decreta . Imperata . Ab . Imperatore . Cae
ſare . Veſpaſiano . Avg
Jvſſv . Mandatvve . Ejus . A . Quoque . Sunt . Ea
Perinde . Jvſſa . Rataq
Sint . Ac . Si . Popvli . Plebiſve . Jvſſv . Acta
Eſſent

S A N C T I O

Si . quis . Hvjvſce . Legis . Ergo . Adverſus . Le-
ges . Rogationes . Plebiſve . Scita
Senatvſve . conſulta . Fecit . Fecerit . Sive
Quod . Eum . Ex . Lege . Rogationeque
Plebiſve . Scito . S . R . C . Facere . Oportebit
Non . Fecerit . Hvjus . Legis
Ergo . Id . Ei . Ne Fravdi . Eſto . Neve . Qvis
Ob . Eam . Rem . Popvlo . Dare . Debeto
Neve . Cvi . De . Ea . Re . Actio . Neve . Judica-
tio . Eſto . Neve . Qvis . De . Ea . Re . Apvd
Se . Agi . Sinito